COMPENDIVM
VITAE, VIRTVTVM, ET MIRACVLORVM,

Necnon Actorum in causa Beatificationis, & Canonizationis

B. CAIETANI THIENÆI
Clericorum Regularium Fundatoris

Ex Secretaria Congregationis Sac. Rituum.





ROMÆ,

Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ 1671.

Superiorum permissu.

COMPENDIVM

VITAE, VIRTVTVM, ET MIRACVLORVM,

Necnon Actorum in causa Beatificationis, & Canonizationis

B. CAIETANI THIENAEI

Clericorum Regularium Fundatoris

Ex Secretaria Congregationis Sac. Rituum.



ROMAE,

Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ 1671.

Superiorum permissu.





Eligionum Instituta triplicem vitæ rationem semper respexere; vel contemplatiuam, quã nonnulli Antonio, Pachomio, Basilio, Benedicto, Romualdo, Brunoni, & alijs similibus adhæserunt, vel actiuam, quæ ab operibus charitatis varias formas accipit, dùm nonnulli armis Deo deseruiunt, vt Hierosolymitani, Iacobitæ, & alij huiusmodi Equites pro Ecclesiæ securitate certant, alij verò proximi necessitatibus opitulantur, dùm ægrotis curandis, fidelium corporibus sepeliendis, pauperibus alendis, miserorum patrocinijs suscipiendis, alijsque huiusmodi exercitijs detinentur, vel denique mixtam, quę in diuersas species diuiditur, iuxtà varias Institutionum formas, seù Institutorum Regulas, scilicet Augustini, Dominici, Francisci, aliorumque, quas diuersimodè Religiones profitentur.

Non Monasticam tantùm omnium istarum Religionum disciplinam Instituta præscripsere, sed plura insignem Clericorum Regularium Ordinem exceperunt, quæ ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio gloriosus Apostolorum Cætus instituta Religiosæ, & arctioris vitæ obseruantia, totò Terrarum Orbe felicissimè primùm consecrauit, mox ad Ægyptios Marcus Euangelista traduxit, in Ionia Polycarpus instituit, Syriam inuexit Ignatius, in Galatiam, & Galliam Crescens intulit, in Lybiam Cyprianus induxit, in Romana Vrbe Syluester Pontifex restituit, apud Transpadanos Italos fundauit Eusebius Vercellensis Antistes, Ambrosius reddidit Insubribus, Palestinę Hieronymus firmauit, in minori Africa reformauit Augustinus, in Arabiæ, Ægyptique confinio Niger, Dionysius, & Solon Rinocururensis Ecclesiæ

 Pon-

Pontifices confouerunt, apud Cisalpinos Prosper Regensis Episcopus perfecit, in Sardinia Fulgentius Ruspensis Præsul continuauit, Gregorius Magnus in Romana Aula instaurauit, Clarus Viennensis Abbas apud Allobroges excepit, Augustinus Cantuariensis Episcopus reuocauit in Anglia, Cuthbertus Landisfarnēsis Pontifex Britanniæ decorauit, in Lugdunensi Gallia Iuo Carnutensis erexit, in Hybernia Malachias Duensis Præsul adsciuit, apud Belgas, Gerardus, & Florentius constituere, & in vniuersa denique Italia, vltrà Ignatium, cæterosque posteriores, restituit, stabiliuit, & gloriosam reddidit Beatus Caietanus Thienæus, cuius virtutum ornamenta, & sanctitatis splendores ità emicuerunt, vt superfluentem gloriæ mensurā, & vberiores lucis radios non errantis Ecclesię iudicio recipere digna videantur.

Vicentia, quam Plinius Vicentiam, & Ptolomæus Vicentam dicunt, & in lapidibus quandoque Veicetiam appellatam alij referunt, est Venetorum Vrbs mediterranea, & nobilissima Ciuitas Episcopalis, Meduaco minore fluuio diuisa, vitiferis collibus proxima, quam à centum vicis, ex quibus coaluit, dictam volunt: inter nobiliores huius Ciuitatis familias insignis est illa Comitum Thienæorum, & altera Comitum Portorum in qua natus est prædictus Beatus anno Domini 1480. tres scilicet, non amplius ante annos, quam fax illa Christianæ Religionis, Martinus Lutherus ad pietatis exitium, morumque luem in lucem editus est: quo bonitas illa summa Numinis demonstraret, maturiùs profligendis malis parare adiumenta, quam mala ipsa eueniant, siquidem ad effrænem Lutheri insaniam compescendam, opem non sanè exiguam attulit hæc Clericorum Regularium à Caietano instituta Sodalitas eadem tempestate, qua ille suæ disciplinæ habitum, ac mores exuit. Parentes verò habuit Comitem Gasparem Thienæum, & Comitissam Mariam de Portis, ac sacro Fonte renatus in Baptismate Caietani nomen sortitus est, vt celeberrimi Philosophi, ac Theologi gentilis sui, Canonici Patauini, memoriam in familia Thienæa renouaret, cuius meminit Ioannes Tritemius libro de Viris Illustribus, Piè, & Catholicè educatus, ea statim virtutis, ac pietatis indole effloruit,

ruit,

ruit, vt in ipso ætatis rudimento, omnium linguis Vicentiæ appellaretur, spiritualissimus, deuotissimus, sanctissimus. Emensus humaniorum litterarum studia, in philosophiam, auspicatissime velificauit: tum Iuris prudentiæ operam dedit, & Doctoratus lauream summa cum laude assecutus est, deinde munere Prothonotarij Apostolici insignitus. Verù animaduertès, omnia in hoc mundo, & cuncta, quæ fiunt sub Sole, vanitatibus, & afflictione spiritus consistere, nihilque aliud firmum, & stabile inueniri, quàm Deo inseruire, se totum Oratorio S. Hieronymi, quod Vicentiæ celebre est, applicuit, & non tam verbis, vitæ, exemplo, quàm factis odorem suum in sodalitatem diffudit, dulci nempe verborum eloquio eorumdem corda charitatis ardore ita accenditur, vt precationibus, Sacramentorum frequentationi, pietatis officijs sedulò vacarent. Extat in eo Oratorio dei Caietani actis commentatiolus, in quo præcipuè habetur, diuinam Eucharistiam ter, aut quater in anno sumi solitam, bis, & ter qualibet in hebdomada eiusdem Caietani incitamento sumptam. Ipsum præterea sua manu cæleste epulum impertiri sodalibus consueuisse, & vt auidius, affectuque acriore accederet ea dicendi copia, ac vi lacrymarum inter ipsam synaxim verba faciebat, vt & præsenti ea dape intimè fruerentur, & aliam cuperent ardentissimè. Hoc porrò Oratorium à Diuino Amore appellabitur, sumpto nimirum ab eo nomine à percelebri illo, quod florebat Romæ, Diuini Amoris Sodalitio, in quo præcipui Romanæ Aulæ viri in omni se se virtutum genere exercebant: & quod ipse in primis Caietanus postmodùm frequentauit; concepitque in eo diuinitùs mentem Regularium Clericorum Ordinem instituendi, vnà cum tribus alijs eximiæ virtutis socijs, nempè Ioanne Petro Carafa Episcopo Theatino, qui postea Romanus Pontifex Paulus IV. est appellatus; Bonifacio à Colle nobili genere Alexandrino, & Paulo Consiliario Romano. Qui quidem peculiari Spiritus sancti impulsu incitati, cælesti amoris singulari ardore inflammati, magnoque, ac iusto dolore commoti, quod Sacer Clericorum Ordo à primæua sinceritate, ac puritate deflecteret, ac magno cum Ecclesiæ detri-

 mento

mento adolesceret, egregiam quandam rationem inierunt, qua antiquum illum splendorem aliqua ex parte renouare, & conseruare possent omnium namq; bonis in communem vsum sepositis, vt pro cuiusque necessitate in singulos dispartirentur, rerum omnium humanarum curis abiectis, se totos diuinis laudibus concinendis, rerumque cœlestium meditationi tradiderunt; illamq; in rebus omnibus viuendi rationem sunt ingressi, quam antiquæ puritati simillimam esse iudicarunt.

Post exhibita virtutis, & sanctitatis plura experimenta Ordinis Clericorum Regularium iecit fundamenta, quem diuini cultus, Religionem, Ecclesiarum munditiam, & Sacramentorum frequentiam maximè voluit profiteri, mira, assiduaque in proximum charitate exarsit, quam annis ipsis iuuenilibus commonstrauit cum Diuæ Mariæ Magdalenæ, vnà cum germano fratre Ecclesiam dedicauit, dotauitque in eo pago, quem Rampazzum vocant, Thienæorum Latifundio, nempè vt haberent coloni, vbi suarum animarum saluti Sacramentorum vsurpatione consulerent. Animas quippè, earumque incolumitatem potissimùm spectabat, easque vt lucraretur nullis vnquam videbatur laboribus parcere, adeoque fuerit, qui illum posteà venatorem animarum appellauerit. Et cùm liber esset ex omnibus, omnium se seruum fecit, vt omnes Deo lucri faceret, omnibus omnia factus, vt omnes saluos faceret, prout quamplures incolumes Deo reddidit, ac vt id abundantiùs assequeretur, varia semper animo media meditabatur, prout Hospitalis Vicentini Institutum, & Incurabilium Valetudinarij Venetiarum Reformatio optimos, ac insignes veræ charitatis peperit effectus. Paupertatem quoque vnicè dilexit, dùm patrimonialibus, atque Ecclesiasticis redditibus penitùs renunciauit, prohibens insuper in Religiosis Instituto non solùm certam redituum possessionem, sed etiam eleemosynarum perquisitionem, volens omninò à Dei prouidentia pendere illud, Religiosis suis innuens: *Nolite solliciti esse quid manducetis, considerate lilia agri, respicite volatilia cœli*; Ideò oblatos reditus, ac bona in sola paupertate tanquam substantia gloriatus, recusauit. Obedientiam præ-

cæteris professus est, sciebat enim illam esse meliorem, quàm victimam, magisque proficuum auscultare, quàm offerre adipem. Hinc alienis potiùs seruire mandatis voluit, quàm in proprijs dominari, quod in sæculo esse obseruauit. Illud sanè ingenti cuidam admirationi in eo aliquandò deseruijt, quod iussus à Maximo Pontifice eius nominis Septimo, vt fundando Cœnobio Venetijs Neapolim se transferret; non temporis, non corporis incolumitatis rationem habuit; verùm nulla mora sub ipsis æstiui syderis ardoribus, ac cœlo nimium æstuante, se se viæ commisit; disertè professus, suscipiendo suspecta adeò tempestate itineri, satis, superque sibi fuisse, Pontificem iussisse. Has porrò virtutes à vitæ incunabulis vsque in finem comites habuit.

Ardore siquidem fidei adeò vehementer flagrauit, vt communiter omnes crederent, Beatum istum interijsse præ dolore, quem conceperat ex eo quod Ciuitas Neapolis, alioquin summè Catholica, Tribunal Sanctissimæ Inquisitionis respuit; & quod Sacrosanctum Cõcilium Tridentinum interruptum fuerit, idemque fidei ardor ipsum excitauit ad sedulam indagationem, qua Ioannis Valdesij, & Bernardini Ochini hæresim detexit.

Hinc Diuinæ Prouidentiæ ità confidit, vt Ordinem Clericorum ab ipso instituto ità districtè Constitutionis mandato deuinxerit, vt sicuti monuimus non solùm bona stabilia in communi possidere, sed eleæmosynæ subsidia etiam quærere prohibuerit, præcipiens, vt Religiosi de spontè oblatis viuant: Sanciuitq; exemplo leges; cùm ipsum de Religione Neapoli instituenda agentem, Oppidi Comes hortari contendit, vt reditus, ac prouentus admitteret, quos ipse spontè offerebat, proprijsque suasionibus aliorum Religiosorum consilia, ac monita etiam adiungebat; At ipse, sicut Mons Sion, confidens in Domino, & tanquam firmissima columna, ab instituti proposito nunquam potuit dimoueri, sed solummodò in necessitatibus ad Deum Dominum nostrum confugiebat, manens in ieiunijs, & orationibus in conspectu illius, qui Beati sui preces, & pauperis desiderium in multitudine misericordiæ, & benignitatis suæ exaudiebat;

diebat; Diuinæ autem eiusmodi prouidentiæ, summæque munificentiæ, præclara quidem, ac penè innumera expertus ipse est, argumenta: & inter cętera cùm aliquando cogeretur pecuniam restituere, nec illa tunc ei suppeteret, quidam ignotus adolescens illam ipsi suppeditauit, aliàs etiam cum hora prandij immineret, nec aliud, quàm vnicus panis inueniretur, iussit pulsari campanulam, & conuocari Patres in Refectorium, ac si mensa esset iam parata, & dùm sermonem haberet cum Patribus, diuina prouidentia factum est, vt campanula pulsaretur ianuæ, qua aperta inuenta fuit sporta pane repletà, nęc qui illam attulerit repertus.

In Romanæ Vrbis direptione, cum ditioribus etiam necessaria deessent, Dei Optimi Maximi prouidentiam seruo suo, & illius socijs cuiusdam mulieris ope suppeditasse, quæ per vias illa recolligebat, quæ milites proijciebant, & cum eodem discessurus tempore, omnibus ijs, quæ itineris, vitæque ratio postulat indigeret, disposuit Dominus cor viri ex primoribus hostium, qui nauim, ac itineris securitatem præstaret; Quin Deus ipse, qui se inquirentibus est remunerator, prodigus effecit, vt vnus ex Piratis victum Hostiam vsquè ministraret; vbi Orator Venetus, quem ibi inuenit summa illum charitate Venetias vsque secum deduxit, nec ibi seruo suo liberalem manum subtrahit Deus, quadraginta enim aureos, quos debebat, & pro quorum solutione creditor acritèr instabat, incognitus quidam obtulit, prout aliàs Cremonæ contigit, vbi duplicatam debiti mensuram recepit.

Et quod probè sciret nihil Diuini Numinis beneficentiam conciliare in nostram inopiam opportunius posse, quàm in Benefactores gratitudinem, mirum est, quibus eos, suis, ac suorum precibus prosequeretur. Quarè prudentissimè instituit, vt super mensam è superiore loco benefactorum nomine legerentur: vt illos statim agnoscerent, qui sua nos munificentia alerent, simulque memori, gratoque animo persolui gratiæ possint, exorato pro ijs Numine.

Ipsaque fiducia in Deum magis elucescit ex voluntaria laborum

tolerantia; Nam grassante peste in ægrotorum officio vitam animosè exposuit; in ipsa direptione Vrbis ista, atque atrocia tormenta militum barbarie æquo animo pertulit, & oblatas in meriti augmentum à Superioribus mortificationes libentèr subiuit. In his porrò ad filiorum suorum institutionem dictum Creatoris nostri passim assumebat. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, sic, & vos faciatis*, sed omissis cæteris, cum Romæ sese recepisset in Montem Pincium, ipsum assumptis socijs, adiuit miles, qui in sæculo viro Dei inseruierat, & cogitans easdem, quibus in sæculo effluxerat, diuitias superesse, manibus in ipsum iniectis, petebat absconditam pecuniam, & aurum inquirebat; seruus autem Dei quasi agnus sine macula, & coram tondente se non obmutescens, sed æquè constans, ac mitis, nec tormenta, quæ sæuissimi illi exactores minabantur, expauescens, aperuit os suum, respondens, non diffiteor, me in sæculo fuisse diuitem, sed quatuor ab hinc annis Christi Redemptoris paupertatem sequutus, inops sum factus, vnde milites ex hoc indignati, ipsum varijs affectum cruciatibus, crudelissima tandem barbarie, iniecto in pudenda fune, eleuarunt, quod sanè tormentum, mira animi corporisque constantia, ac fortitudine libens Christi amore substinuit. Altera vice cum inter Romanæ Vrbis eiulatus, & querelas in summo omnium rerum discrimine, vna cum dilectissimis filijs suis in Templum descendit, illudque, prout temporum calamitas, & angustia patiebatur, ornauit, omnibusque accensis luminibus, ac si solemniter dies instaret, inclinato in terram capite ante Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum prostratus spontanea quasi victima expectabat, Domini sui amore in sacrificio immolari; Accurrère magno impetu rapidissimi illi barbari, qui spe lucri seruum Dei vinculis deuinctum, in teterrimo carcere mancipatum detinuère; Ipse verò qui solam animarum salutem sibi propósuerat, adhuc mira animi constantia ipsos hortabatur milites, ac reprehendebat, vt à nefario opere desisterent, studebatque etiam aliquem Religionis spiritum in ipsorum animis insinuare. In ipso autem carcere ità æquato sedatoque

tòque, moderationis animo viuebat, ac si proprium Monasterium habitasset, ideò quadam vice vnus ex ducibus seruum Dei vnà cum socijs diuina officia recitantem obseruans, eamque animi demirans tranquillitatem, qua nec in proprio choro magis frui potuisset, non permisit ipsum sub custodia carceris amplius asseruari, sed liberum dimisit.

Sæpiùs itaque, quamuis in summam rerum inopiam adduceretur, non curabat, & aliquando veteri Monasticorum Instituto laudabiliter inhærens, solum panem, paucasque ex horto recollectas herbas, & legumina vnà cum socijs comedebat; Id porrò non Veronæ solum contigit, sed etiam Neapoli in Cœnobio Sancti Pauli, vbi solo pane, fructibus, atq; recentibus fabis, cum socijs refocillabatur. Neque mirum, hac illum abstinentia, ac multiplici sui corporis maceratione vti, qui dicere solitus erat, se quidem ceu dæmonem ipsum, corpus suum odisse, appellatusque est à plerisque, qui seueriorem eius disciplinam nouerant: Vir magnæ pœnitentiæ Beatus Andreas Auellinus referebat, seruum Dei à potu pomeridiano mirum in modum abstinuisse, & vt corpus suum maceraret, à comedendo, vinoque bibendo abstinebat, cibo, potu, somnoque in vitam, non in voluptatem vtebatur, & maiorem temporis partem orationibus, & in Choro transigebat. Et quidem in hoc studio ita totus erat, vt mane matutinas ipsas preces anteuerteret, vespere verò ad multam noctem oraret: planè vt si diem, precesque supputes, maiorem æui sui partem in tacita hac mentis exercitatione insumpsisse hunc Dei seruum depræhendens: idque quo ardore animi cum vberes in ipsa oratione lachrymæ, tum elatum aliquando cum spiritu corpus docent. Visus namque non semel ab ipsis vitæ officijs contemplationis vehementia abreptus in Cœlum ferri, & cum beatissimis ijs mentibus degere adhuc mortalis.

His, & alijs innumerabilibus virtutibus, & meritis plenius probè sciens, quoniam apud inferos non est inuenire cibum, operatus est ante obitum suum iustitiam, vt non initium solum, sed finem viæ bonæ pararet. Hinc post exhibitos gloriosè in mili-

tanti Ecclesiæ labores manducauit, & beatus fuit, nullam sibi requiem inueniens; Anno enim 1547. die 7. Augusti post percepta summa pietate, religione, ac spirituali solatio Sacramenta, & deprecatam à Patribus, Fratribusque suis, quos nunquam offenderat, veniam, Crucifixum corde antea, tunc verò vlnis est arctissimè complexatus, integro, vsque ad extremum, sensuum omnium vigore, non sine maxima assistentium admiratione, & salutari [illegible] ac beatum spiritum suo Creatori reddidit.

Neque hîc omittenda admirabilis illa in affligendo corpore seueritas, ac rigor, etiam in suprema ipsa vitæ linea. Nam cùm aduerteret Medicus, in consueto, ac duriore stramine [illegible] plus nimio laborare propter morbum [illegible] suadere illi conatus est, vt inducta lanea culcitra, paleas emolliret, subirasci illi in ea verba visus est: Me ne, inquit, mollire in culcitra? In cinere, & cilicio mori debeo, & volo. Porro vt ostenderet Deus quanti meriti esset Beatus Cajetanus, statim cœpit miraculis clarescere, quorum fama per vicinas, & remotas regiones diffusa, omnes gentes ad sanctitatem ipsius venerandam excitauit. Mox Processus editi sunt, & ad Vrbem transmissi, testibusque repetitis, & desuper examinatis auctoritate Pontificia, & reliquis ad causam pertinentibus ritè, & maturè discussis, Congregatio Sacrorum Rituum censuit constare de eorum validitate, deque fama sanctitatis, virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus in gradu heroico, concludentes item probationes haberi insignium miraculorum, tum in illius vita, tum post fœlicem illius obdormitionem in Domino, videlicet cuiusdam à Religiosis prædicti Beati instituto addictis Cœnobio ad res obeundas egressi, tam grauiter in via prolapsi, & alterum sibi crus fregerit, cumque Medicus illud secare statuisset, idem Beatus vt in posterum diem sectio differretur, instituit, noctu verò ad cubiculum infirmi pergens, fascia detracta vulnus aspiciens, & in genua procidens, ægrum, vt vna secum orationi incumberet, monuit, qua breuiter absoluta, signo Crucis vulnus signauit, osculatusque est, illoque rursus obligato recessit; reuersus mane Medicus, animaque

que fascia, crus integrum solidumque conspexit, itaut vix vllum tanti vulneris vestigium superesset. Comitis Georgij Triuultij grauissima viginti dierum febri eo peruenit, vt nõ modo cibum, aut aliud quidpiam, quod reficiendæ naturæ ingereretur, haud retineretur, sed ne deglutire quidem valeret; immo absque pulsu iacens, & à Medicis proclamatus morti proximus commendatus ab vxore dicto Beato, in continenti sanus, & incolumis visus est. Helenæ Gryptæ nobilis Venetæ per mensem febri continua magnisque angoribus oppressæ, lectoque affixæ absque loquela per alios viginti dies perdurantis, inuocata ope prædicti Beati, repente sanata est. Petri Franchi Veneti molestissimo sinistri brachij dolore articulari per decennium laborantis, fusis precibus ante imaginem prædicti Beati repente pristinæ incolumitati restitutus est. Veronicæ Zanninæ puellæ octennis febri maligna, laterum dolore, & pleuritide correptæ per septem dies loquela orbatæ, & à Medicis inclamatæ, à Matre tandem ante dicti Beati Imaginem collocatæ, sana, & incolumis reperta est. Francisci Virgæ Mediolanensis lethali febri oppressi, & morti proximi, implorata ope dicti Beati, statim perfectè sanum sese reperijt. Helenæ Thomatellæ Vicentinæ quinquennis, cuius oculus quodam humoris defluxu, pustulisque ex eo natis grauissimè affectus est crassa insuper nebula organum occupante, ingemientis, anxia filiæ calamitate Mater præsentaneo amittendæ lucis periculo territa, filiam enixè commendauit dicto Beato, posteaque illam omninò sanam comperiit. Franciscæ Bertæ Venetæ lanea veste in oculum impactæ magnis doloribus per plures dies diuexatæ, sanguine suffuso, lacrymis exundantibus, ac nebula lumen offuscante, inuocata ope dicti Beati, pristinæ incolumitati restituta est. Viennæ Muscæ Vicentinæ comitiali morbo per annos duodecim miserandum in modum diuexatæ, itaut viginti quatuor horarum spatio ter ex eo caderet, singulisque vicibus per binas ternasque horas, & quandoque diutius prostrata conspiceretur, delata ad infirmam Imaginem dicti Beati, & emisso ab eadem voto ante prædictam Imaginem recitandi quotidie orationem Domini-

cam, & salutationem Angelicam statim libera à tam atroci morbo visa est, elapsis tandem duobus mensibus, cùm per obliuionem quadam die votum non persoluisset, illicò eodem morbo correpta est, sed satisfaciens voto, denuò liberata est. Catherinæ Buranellæ Venetæ per tres annos pessimo quodam vlcere in superiore palati parte laborantis, carne ad nares vsque perforata, tantisque inde doloribus cruciata. Tria insuper erant vlcera vnum in foramen obeuntia, & cùm misera biberet, vinum per nasum excurreret, inuocata intimo corde ope Beati, applicataque ipsius pri illibus Imagine, statim perfectæ se incolumitate donatam cognouit. Dignameritæ Catotiæ Venetæ per tresdecim annos hidropicæ, inuocato dicto Beato, qui eidem radijs circumfusus apparuit, illicò sanam, & incolumem sese reperijt. Iuliæ Grottæ Mediolanensis puellulæ à Dæmone arreptæ, & miserandum in modum vexatæ, cumque exorcizaretur, respondit Dæmon, se in Ecclesia S. Antonij antè Imaginem Beati Caietani exiturum, Puella, voto à parentibus edito, ad prædictam Ecclesiam perducta, & antè Imaginem prædicti Beati constituta, spiritus malignus ter Beatum Caietanum nominans, obsesso corpore egressus est, puellamque concussam, & exanimi similem reliquit. Bartholomæi Trinellini Veneti ex lethali morbo decumbentis cùm iam esset morti proximus Presbyterum, à quo extremæ vnctionis Sacramentum reciperet, accersiuit, qui postquàm aduenit, conspectam super infirmi lecto Beati Caietani imaginem charta impressam eidem osculandam tradidit, quo peracto prædictam Imaginem Presbyter in lecti angulo inter columnam eiusdem, ac ferramenta reposuit, itaut cadere nullatenùs posset, cum infirmus iam iam animam esset afflaturus, eadem imago absque ministerio humano, relicto loco, vbi affixa erat, super faciem moribundi sese collocauit, quo non sine stupore conspecto, Presbyter eam accepit, ægroque osculandam porrexit, quo facto spiritum suo Creatori reddidit.

Tunc fæl: rec: Vrbanus VIII. Apostolicis litteris indulsit, vt Dei

Seruus

Seruus Beati nomine nuncupari cœpit, eique certis in locis, & à quibusdam Ecclesiasticorum cœtibus veneratio, & cultus exhiberentur, approbatis deniùm alijs miraculis desumptis ex Processibus authoritate Apostolica confectis post indultam eidem Beato venerationem; nempè Franciscæ del Core à cancro exorto in vola manus sinistræ, mox exulcerato, gangræna inuaso, & in sphacelum conuerso cum brachij, & partium cordi adiacentium manifestatione, nil prorsus iuuantibus humanis remedijs, & frustulorumque putridæ carnis inde facta erosione ponderis vnciarum quinque absque vllo dolore percepto ab infirma, itaut Chirurgus sequenti manè vellet ei manum abscindere, & brachium vstione curare, sed præcedenti nocte, vncta manu oleo lampadis prædicti Beati, cui se toto corde commendauerat, postmodùm se sanam, & incolumem, manumque jam emortuam, & fœtentem viuificatā absquè vllo cicatricis signo comperijt, non absquè omnium admiratione: Iosephi de Aiello spatio quatuordecim annorum laborantis cancro exulcerato, lupa nuncupato, in sinistra coxendicis parte posteriori, quod tribus digitis distans è genu incipiebat, & ad inguinem extendebatur quatuor digitis in latitudinem progrediens, & tribus in profunditatem, carnem ipsam erodens, & depascens, putridum insuper, ac fœtens, inuocata ope Beati, vnctoque coxendice oleo lampadis antè ipsius Aram ardentis sanus, & incolumis visus est absque vllo cicatricis vestigio, pelle siquidem extensa, & æquata, naturali insuper colore prædita, ac si tali morbo nunquàm inuasus fuisset; Et Nicolai filij Ducis Gaspris Caffarelli, qui febri maligna correptus conuulsione cum intensione, & extensione manuum, pedum, & trunci totius corporis modo emprostotanico deformi, ad instar Sirenæ thoracis muscolis conuulsis, absque loquela, alijsque infirmitatibus, & simptomatibus lethalibus oppressus, viribus cōsumptis, & à Medicis proclamatus, veluti eademmet nocte vigesimanona suæ infirmitatis moriturus, emisso tandem voto dicto Beato, qui illi radijs, & splendoribus circumfusus apparuit, statim, & in-